

Born

Animad-
versiones.

1737.



71
Pomer
Siberian.



2424
I. H. B. L.

ANIMADVERSIONES

219.

IN

IOACHIMI SCHWARZII

IURIS CIVILIS IN ACADEMIA LUGDUNO-
BATAVA ANTECESSORIS

DISQUISITIONEM ACADEMICAM

UTRUM IURE CULPANDUS SIT TRIBONIANUS QUOD
IN COMPONENTIS PANDECTIS ETHNICORUM HOMI-
NUM SCRIPTA COMPILARIT?

LUGDUNI BATAVORUM V. NONAR. IULII A. MDCCXXXVII. INSTITUTAM.



LIPSIÆ

IN BIBLIOPOLIO MARTINIANO

MDCCXXXVII.

Hb 2 214

J. H. E. A.
ANNALENSIS
JACOBI SCHWARTZ
IN COMPTONIA
DISCIPULUS
PATER



IN COMPTONIA
DISCIPULUS
PATER
JACOBI SCHWARTZ
ANNALENSIS
J. H. E. A.

LIBRARIUS
IN BIBLIOTHECA
UNIVERSITATIS



ANIMADVERSIONES
 IN
 IOACHIMI SCHWARZII,
 ICTI BATAVI,
 DISQUISITIONEM ACADEMICAM,
 UTRUM JURE CULPANDUS SIT TRIBONIANUS, QUOD IN PAN-
 DECTIS COMPONENDIS ETHNICORUM HOMINUM
 SCRIPTA COMPILARIT.

Σ Υ Ν Ο Ψ Ι Σ.

TRIBONIANI virtutes & vitia commem-
 morantur, in his ATHEISMI crimen
 §. I. Testes & indicia criminis indi-
 cantur: illorum dubia accusatur fides;
 eorum vitia recensentur, examinaturque
 primum §. II. Disquiruntur secundum §. III.
 Ponderatur tertium nibilque omnino pec-
 casse TRIBONIANUM, probatur §. IV.
 Vis ratiociniorum brevi evolvitur §. V.
 Ad IOACHIMI SCHWARZII dissertatio-
 nem transitur ejusque bina indicantur
 vitia §. VI. Primum tractationis caput,
 quo ordinem TRIBONIANI systematicum
 probare intendit, refellitur §. VII. Al-
 tera pars disquisitionis, qua, Jurispru-
 dentiam Romanam cum Theologia Chri-
 stiana optime consentire ex Stoicæ philoso-
 phiæ præstantia inferit, in tabula repræ-
 sentatur §. VIII. Et falsitate principio-
 rum Stoicorum demonstrata confutatur
 §. IX. Imponitur dissertationi finis §. X.

§. I.



Quod in rebus humanis solenne est dudumque moribus
 receptum, ut qui magna audent, ab aliis lau-
 dentur, reprehendantur ab aliis, idem & Tribonia-
 no, magno illi civilis jurisprudentiæ architecto conti-
 gisse, constat inter omnes. Ex quo post calumnias
 PROCOPII a) FRA. HOTTOMANNUS, b) pravis
 infestæ mentis concitationibus indulgens nimium,
 omnibus, quibus poterat, miserum profciderat conviciis, insurrexerunt
 alii,

A 2

a) PROCOPIUM, in ἀνευδότης invidia
 uri, pravisque animi versipellis concita-

tionibus dare nimium, in dubium ef-
 se vocaturum credo neminem, Fatetur
 SUT.

alii, qui defendere reum, desperatæque patrocinari causæ omnibus annitebantur modis. Commemoranda hic sunt maxima in civitate Jctorum ipsisque sacra Musis nomina, GABR. TRIVORIUS, c) JO. CHIFLETIUS, d) ANT. SCHULTINGIUS, e) JO. PETRUS LUDEWIGIUS; f) alios prætereo tacitus, ne horum laudi detrudere quidquam videar. Nec placet, nec juvat, eruditorum expilare scrinia, quasque in *Tribonianum* contulerunt, laudes ac reprehensiones, longa ferie in medium proferre; totum quippe tribus, ut ajunt, verbis confici poterit negotium. Qui favent sacratissimi amico Cæsaris, quatuor potissimum virtutes easque omnino laudedignif-

- SUIDAS, qui ex historiis ejus non exigua hæuist subsidia, v. *Hyperbolicos* T. III, p. 186. edit. Cantabrig. Causas odii in Justinianum ejusque amicos GABR TRIVORIUS in *observ. apolog.* c. 26. 27. 28. aperuit. add. GUIL. WALLSH, magnæ Britannæ eques litteratissimus, in *a Dialogue concerning Women being a Defense of the sex written to Eugenia*: inter *Opera Poetica & Prosaica* Londini MDCCXXXVI. 8. junctim edita p. 181. seq. Celeb. JO. GOTTL. HEINECCIUS in *hist. juris* L. I. c. VI. §. 316. not. * III. JO. JAC. MASCOVIUS in *Observat.* XIX. ad Tomum II. *der Geschichte der Teutschen* §. 2. n. 1. p. 130. Unde frustrancus labor est, quem de censionis PROCOPII impendit NIC. ALEMANNUS in *judicio de Procopio & arcana ejus historia*, quod editioni Lugduni MDCCXXXIII. fol. curata præmisit, p. VIII. seq.
- b) In *Anti-Triboniano*, quem librum post editiones varias CHR. GOTTF. HOFMANNUS, primarius nuper Viadrinæ antecessor, Tom. I. *historia juris Ro.* subjunxit. Faere, qui HOTTOMANUM hujus auctorem esse scriptionis dubitabant, sed scrupulum exemit JOANNES, *Francisci Filius*, in docta ad *Nicolaum Brunlarium Silerium* epistola. Vid. JO. SAM. BRUNQUEL
- LI *hist. juris* P. II. c. I. §. 22. p. 187. seq.
- c) In *Observatione apologetica ad inscriptionem orationis ad antecessores digestis Justiniani præposita adversus quosdam Jctos & Procopii anecdota* Parisiis MDCCCXXX. 4. itemque ap. OTTONEM *th. juris* Tom. I. p. 197. seq.
- d) In *dissertatione apologetica de utriusque juris architectis* Antwerp. MDCCCII. 4. quam itidem EV. OTTONIS *thes. jur. Ro.* T. I. insertam licet evolvere p. 161. seq.
- e) *Orat. I. qua disquiritur, culpandusne sit Tribonianus, quod Jctorum Rom. qui stante republica Romana claruerunt, scripta suppresserit, ac posteriorum, qui sub Imp. floruerunt, responsa in pandectas resulerit?* adjecta *Jurispr. Antejustin.* p. m. 883. seq.
- f) In *vita Justiniani & Theodora Augg. nec non Triboniani* Halæ MDCCCXXXI. 4. Nec laude sua defraudandi sunt THO. RIVIUS in *defensione Justiniani contra Alemannum* Francof. MDCCCXXVIII. 8. JO. EICHELIUS in *notis ad Procopium*, Helmstad. MDCCCXXII. 4. GUIL. MARANUS de *recta docendi ratione & antecessorum delectu* Tolosæ MDCCXXXVIII. 8. R. A. D. FORNERIUS *rer. quotid.* L. I. c. 17. ULR. HUBERUS *digress. Justin.* L. III. c. 16. JANUS VINC. GRAVINA *orig. jur. civil.* p. m. 95. f.

dignissimas in scenam producent, *doctrinam* scil., qua in concinnando tanta molis opere carere non potuit, *humanitatem*, cujus gloriam ne ipse quidem PROCOPIUS, scriptor invidiæ plenus, dubiam reddere ausus est, *fidem*, qua erga principem suum per omne tempus eminuit, *solertiam*, quam in emendandis legibus antiquis novisque condendis tanta adhibuit alacritate, ut nullum diem sine lineâ præterlabi sineret. Scio equidem, hanc ipsam solertiam atro a JO. JACOBO WISSENBACHIO notatam fuisse calculo, quippe qui veteres leges variis ἐμβλήμασι deturpatas existimavit. Neque tamen litem hanc nostram faciemus, quum obtrectationem diluerit dudum JO. WYBO, ingens Belgii cultioris decus. g) Alii has, quas recensuimus, palmas *Triboniano* nostro ambabus largiuntur manibus, sed aliam cumulant vitorum turpissimorum catervam, qua omni virtutum gloriæ officiant. Accusant *ignorantiam latini sermonis*, qua concinnitatem & elegantiam Jctorum veterum commaculatam arbitrantur; *adulationem* objiciunt, communem magnatum, qui latus principis claudunt, nec vituperandam omni ex parte, consuetudinem; *avaritiam* damnant, cujus etiam si reum credamus sacri palatii comitem, nil tamen ibi reperimus, quod aut in Legum compilatione noxium, aut ab amicorum regiorum personis alienum sit; denique *atheismum* urgent & intempestivum in sacra paganorum favorem, qua quidem in re & conscientiæ *Triboniani* iniuriam intulisse, & ipsa rerum gestarum argumenta non satis lustrasse, mihi videntur. h)

§. II.

Communis est inter eruditos fabula, *Tribonianum* adeo fuisse ἀθεον, ut & ipse veri numinis cultum insuper habuerit, & paganorum sacris, neglecta penitus religione christiana, summo faverit opere. Primus errorem HESYCHIUS disseminavit MILESIUS, a) quem SUIDAS, ARCHIEP. CONSTANTINOP. b) exseripfit, sequentibus præter alios c) COELIO RHODIGINO d) & NIC. ALEMANNO. e) Nemo, arbitror, inter lectores erit

A 3

adeo

- g) Hanc confutationem doctissimam ipsi WISSENBACHII libello junctam & Halæ c. 1000 xxxvi. 8. editam debemus industriæ JO. LUDOV. UHLII.
- b) V. III. JO. PETRUS LUDEWIGIUS in *vita Justiniani* c. VIII. §. 16. 17. p. 186. seq.
- a) περὶ τῶν ἐν Καίρειε διαλαμφθέντων σοφῶν v. Τριβωνιανῶς, inter *Opuscula* a JO. MEURIO Lugd. Bat. c. 100 xiii. 8. edita, p. 63.
- b) v. Τριβωνιανῶς, T. I. p. 501. edit. quam Cantabrigiæ c. 1000 v. fol. T. III. curavit LUD. KUSTERUS.
- c) Veniunt in hunc censum CHRISTOPH. COLERUS *parerg.* c. 17. AND. ALCIATUS *disputat.* III. c. 7. Opp. T. IV. p. 234. B.
- d) *Lectio. Antiq.* L. XXII. c. 20 T. III. p. 136. edit. Juntinæ Lugduni c. 1010 LX. 8.
- e) In *notis ad Procopium* p. 59. 72. seq.

adeo rerum gestarum incuriosus, qui non scire aveat, quæ tandem rationes effecerint, ut *atheismi* notam *Triboniano* inurerent viri celeberrimi. Ego vero, rebus omnibus bene putatis, tres inprimis expiscari causas potui. In his *PRIMA* est, quod in concinnando *juris civilis corpore* *Georum paganorum placita sequutus sit*: *ALTERA*, quod *gentilismi vestigia in digestis reliquerit*: *TERTIA*, quod in *imperatorem suum divinos titulos larga manu contulerit*: quibus quidem de medio sublatis, non opus erit, ad confutandam conclusionem multa in scenam producere argumenta. Nos inversum sequunturi ordinem, illam, quam tertio commemoravimus loco, primam nunc aggredimur rationem, quippe laudati superius *HESYCHII* testimonio aliqua ex parte roboratam. Sic enim ille: *Τριβωνιανὸς, ἰνκνιτ, κολακείων Ἰββνιανὸν βασιλέα ἔπειθεν αὐτὸν, ὅτι εκ ἀποθανεῖται, ἀλλὰ μετὰ τερκὸς εἰς θρανὸν ἀρπαγήσεται.* ^{Ἦν δὲ ὁ Τριβωνιανὸς Ἕλληγ καὶ ἄθεος.} En *Tribonianum* mendacem & atheum ob solam hanc rationem, quod Imperatori suo immortalitatem sponndit, divinitatisque adipiscendæ spem fecit certissimam. Sed varia sunt, fateor, quæ ipsam suspectam faciunt narratiunculam. Equidem non puto quenquam scriptorum, qui ista nobis retulerunt, in secretarium Cæsaris & intra sindonem sic admissum, ut amicos *Justiniani* *Triboniani*que sermones excipere potuerit. Tum neque tanta est *MILESII* illius auctoritas, præcipue in rebus, quæ christianorum gentiliumque lites attingunt propius, ut nulla prorsus contra illum testimonii sit dictio. f) Præterea, etiamsi hæc *Tribonianum* fudisse verba largimur, *Justinianum* signentis illis fidem adhibuisse veri non videtur simile. Quod si quis credat & in animum inducat, quid aliud quæso agit, quam quod jam dudum in *SUIDÆ* corruptoribus criticæ artis magistri reprehenderunt, ut nimirum Imp. ἀναλφάβητον, bardum, blennum, truncum, stiptemque tacitus testetur. g) Quid quod denique verba alium longe eumque

f) Vixit *HESYCHIUS* eadem, qua *PROCOPIUS* tempestate, atque si nomen τῷ Ἰλλυστρῆς spectes, itidem in aula Cæsaris. v. *PHOTIUS Biblioth. Cod. ξ. θ. p. 51.* ed. Hæschel. add. *JO. JONSIUS de scriptoribus hist. philos. L. III. c. 19. §. 5. p. 103.* seq. Quid ergo divinare vetat, *HESYCHIUM* inter & *PROCOPIUM* magnam intercessisse animorum conjunctionem, idemque utrique iudicium fuisse. Quid quod

SUIDAS v. Ἡσυχίος T. II. p. 82. ex scriptis viri apparere testatur μὴ εἶναι αὐτὸν χριστιανὸν, ἀλλὰ καὶ τῆς Ἑλληνικῆς καττοιπορίας ἀνάπλεον. add. *LUD. KUSTERI* nota ad h. l. 4. *JO. MEURSIUS* ad *Hesyeb.* p. 112.

g) Locus *ARCHIEPISCOPI BYZANTINI* est in v. Ἰββνιανὸς T. II. p. 128, sed manifesta scribarum incuria corruptus, quæ

185118

que commodiorem sensum recipiunt, si nihil magis *Triboniano* tribuamus, quam sponsonem, ὅτι ὁ Καίσαρ ἐν ἀποθανεῖται, i. e. tantam futuram Augusti nominis celebritatem, ut a seris quoque nepotibus celebratum perpetuaque conditum memoria, immortalitatem quasi adeptum videatur. Nisi enim, ut animi sensa eloquar, omnia in dubium vocare velis, ultima certe verba ineptum peperit ex fabula Proculi de Romulo conficta forfitan petatum, HESYCHII, ethnici hominis, ratiocinium: ὁ μὴ ἀποθανὼν μετὰ σαρκὸς εἰς ἕρανδὸν ἀρπαγεῖται. Ingenue fatemur, tantam huic enodationi non inesse veritatis speciem, ut vel invitos cogat subscribere. Neque nos tam mordicus ipsi inhæremus, ut cuiusvis lectori obtrudere eandem cupiamus. h) Nam & alia adest interpretandi ratio, multorum fulta suffragio, i) quæ ad receptam inter gentiles Cæsarum consecrationem respexisse vult *Tribonianum*. At nos tamen veremur, ut acu rem tetigerint viri, qui ei favent, celeberrimi. Ex quo enim Constantinus M. ad sacra christianorum transit, intercidit pagana τῆς ἀποθεώσεως cærimonia, nec a quoquam successorum, nisi forte a Iuliano Apostata, denuo fuit recepta. k) Mansere interim imo ortum traxere post proscriptionem e civitate christiana consecrationem divini Imp. tituli, quos & famæ *Triboniani* nocumento, & eruditissimis offendiculo fuisse videmus. Hi enim concoquere non potuerunt, principis & rescripti voces in exilium quasi actas, in earumque vicem numinum, oraculorum, sacratissimarum vocum, divinitatis plena occurrere omnia. Egregie certe falluntur, qui hos dicendi modos paganis eorumque πολυθεότησι adscribunt. Scriptores antiqui aureæ ætatis, tantis nunquam prin-

Ἰεσως nomen in Ἰεσωναιον transformare non erubuit. Confirmant rei veritatem scripti, qui in Vaticana Bibliotheca servantur, codices, & auctor, ex quo sua descripsit Suidas, infestus Iustiniano PROCOPIUS *anecd.* c. 6. p. 19. imo ipse SUIDAS v. ἀμαθητος T. I. p. 130. Conf. NIC. ALEMANNUS *ad Procopium* p. 17. GAB. TRIVORIUS *observ. apolog.* c. 3. HADR. RELANDUS *ad fastos consul.* p. 691. NATALIS ALEXANDER *hist. eccl. Sæc. VI, Cap. 7.* art. 2. LUD. KUSTERUS *ad Suidam* l. c. not. 2. JO. SAM. BRUNQUELUS *hist. jur.* P. II, c. 1. t. 9. 10. p. 178. seq. III. HEINECCIUS præfat. corpori juris civ. Halæ c176ccxxv.

8. edito præmissa p. XVIII. seq.

- h) Consentit nobiscum JO. HENR. MYLIUS in *diff. de iis, que in proæmio institutionum supposita perperam creduntur* c. 2. §. 7. p. 15. seq.
- i) Hanc ALEMANNI & aliorum esse sententiam, quis est, qui ignorat? V. CHR. GOTFR. HOFMANNI *hist. jur. Rom.* L. II. c. 1. §. 3. not. c. T. I. p. 253. f.
- k) Ita sentit celeberrimus vir, B. JO. BURCKH. MENCKENIUS, de *Augustorum Augustarumque consecratione ex numis illustrata*, quæ inter *Dissertationes Menckenianas* ab Ill. Filio FRIDERICO OTTONE Lipsiæ c173cc xxxiii. 8. junctim editas habetur, §. 3. p. 5.

principes suos oneraverunt adulationibus, nec prius tale quidquam accedit, quam ex quo sequenti ævo infucata illa, cothurnata, pigmentis illita, & calami strata masculæ illi veterum eloquentiæ succederent dicendi genera. Vis aliud ejus rei specimen? Adi XII. illos PANEGYRICOS, quos junctim edere sueverunt viri doctissimi, & numinum & sanctitatis & divinitatis nescio cujus frequentem adeo mentionem reperies, ut in coelestes domos delatus inter Deos & cœlites vitam agere tibi videaris. 1)

§. III.

ALTERAM, quam urgent hostes TRIBONIANI & pro PAGANISMO illius asserendo afferunt, a) rationem vestigia pagane religionis in legibus Romanis obvia suppeditarunt. Non defuerunt igitur, qui omnes gentilium ritus in digestis commemoratos in opprobrium verterunt compilatoris & inde contemptum religionis christianæ singularem concludere conati sunt. Jam sua ætate hos, qui ita sentiebant, legis Remmiæ reos JO. CHIFLETIUS b) postulavit. Respondit iisdem haud ita pridem ill. Fridericianæ cancellarius, JO. PETRUS LUDEWIGIUS, c) ideoque ait relicta carimoniarum gentilium in digestis nomina, quod christiano judici facilis sit labor, jus ethnicum obyentibus in christiana civitate rerum argumentis prudenter accommodare. Nos bina jungentes argumenta rei propositæ facturi sumus ex asse satis. Excusandus vel eo quidem nomine videtur Cæsaris amicus, quod intacta potius relinquere veterum Jctorum fragmenta, quam novis deformare laciniis maluerit. Quæ contra WISENBACHIUS vibravit tela, magno judicio retudit JO. WYBO V. C. Accedit, non fuisse e re *Triboniani* novas creare sibi molestias. Sat enim laborum non poterat non devorare, quum intra spatium temporis exiguum *περὶ τῶν καμῆλων ἀρχαῖες* perlegeret & his mille codices in unicum justa magnitudinis volumen colligeret, d) Tandem si gentilium tot follicite colligen-

- 1) v. JO. HENR. MYLII *diff. cit. c. 2. §. 9. not. a. p. 17.*
 a) Objectionem hanc imprimis urgent CHRISTOPH. COLERUS *parerg. c. 17. ap. EV. OTTONEM eb. jur. T. I. p. 370.* & celeb. BURCH. GOTTH. STRUVIUS in *historia juris Ro. c. 3. §. 5. p. 291. add. not. 7. p. 299. seq.* Nec est cur soli oscitantia tribuere vitium & in socios Triboniani conjicere culpam velimus cum HUB. GIPHANIO *de Imp. Justiniano p. 36.* quum alia adsint, quibus

- dilui queat objectio, argumenta.
 b) *In diff. apolog. de juris utriusque architectis c. 5. §. 5. ap. OTTONEM T. I. p. 176. l. q.*
 c) *In vita Justiniani c. 8. §. 17. p. 188. add. quæ prolixè disputavit Ill. HEINECCIUS pref. corp. jur. p. 25. seq.*
 d) *Conf. EUNAPIUS SARDIANUS in vita Aedesii p. 61. edit. Colon. Allobr. cxi. 8. LIVIUS hist. Ro. III. c. 34. Ill. HEINECCIUS elem. institut. §. I. p. 1.*

gendæ sunt reliquæ, cur non & vestigia christianæ, ejusque non fucata, pietatis eadem quæruntur alacritate, etiamsi vel in prima occurrant pagina. Institutionibus enim, illis legitimæ scientiæ elementis, solemnem christiani invocationem: *In nomine domini nostri Jesu Christi*; præfixit Tribonianus, cujus rei veritatem præter alios EV. OTTO, e) IO. PETR. LVDEWIGIVS f) & dissertatione peculiari IO. HENR. MYLIVS g) evicerunt. Tacitus aliud prætereo argumentum, quod non nemini h) in mentem venit, TRIBONIANVM semper in digestis pro idolorum compellationibus sacrosanctum veri Dei nomen substituisse, quum ratiocinatio inde ducta non firmo satis nitatur fundamento. Illam enim scribendi rationem nec ethnicis incognitam scriptoribus, post PETRVM BVRMANNVM i) probavit IO. WYBO, k) vir Romani juris peritissimus.

§. IV.

Tandem ad TERTIAM illam, quam primo proposueram loco, causam venio, qua moti, PAGANISMI & ATHEISMI reum postulare *Tribonianum* videntur ICTI dictæ sententiæ faventes. Objiciunt nempe, pessimum hominem responsa veterum, eorumque gentilium, juris peritorum, * quibus respondendi de jure data per Cæsares fuerat facultas, collegisse, quum Christianorum potius placita sollicitius explorare debuisset. Adeo quidem secur eruditorum contra juris nostri conditorem tumet, ut, quos tandem exigere ab illo labores debeant, incerti hæreant & ancipites. Exprobrarunt jam olim nonnulli negligentiam, in deserendis aurei avi scriptis admittam. a) Nos etsi non invitati largimur, ICTorum Romanorum ingenia

e) *In comment. critico ad institur.* p. 5.f) *in vita Justiniani* c. 7. p. 111. seq.g) *De iis quæ in proximo Institutionum supposita perperam creduntur* Halæ c10 10ccxxi. c. 2. §. 1. seq. p. 7. seq.h) Nempe IO. IACOBO WISSENBACHIO, quem v. in *emblem. Tribon.* c. 1. §. 1. p. 3. seq. & §. 6. p. 10. seq. Aliud argumentum favoris in Christianos eximii est, quod edita Imp. superiorum contra Christi amicos lata in codice compilando omisit penitus & retieuit. v. *Ampl. CORN. VAN BYNCKERSHOECK de religione peregrina diss. II.* Opusc. T. II. p. 193. ed. Conrad.i) *Ad OVIDII art. amat.* L. III. v. 103. T. I. p. 660. ubi contra DAN. HEINSIUM in primis præclare disputavit criticus nostræ ætatis facile princeps. Conf. ISAACUS CASAUBONUS ad PERSII Sat. III. v. 71.k) *In Triboniano defenso* c. 1. §. 1. p. 217. ed. Halens.

* Et hoc argumento ad paganisimum Triboniani demonstrandum usus est Ill. STRUVIUS eodem, quem ad superiorem sphum excitavimus, loco.

a) Id egit ANT. SCHULTINGIUS *peculiari oratione, quæ in vrspr. Antejustin.* p. 883. seq. adjuncta legitur.

genia tum ingeniis aliarum gentium multis partibus, antecelluisse non tam inde arbitramur consequi, nil nisi æquissimum, ingeniosissimum, politicissimum, consummatissimum, ab ore ipsorum proficisci potuisse. b) Quis itaque sponsor nobis erit, meliorem fore jurisprudentiæ nostræ conditionem, si Cassii, Bruti aliorumque responsa ætatem tulissent? Hinc alii, quibuscum in præsentem nobis res est, & has & illas, quas cura TRIBONIANI servavit, tabulas ventis & fluctibus committendas, novumque potius secundum principia Christianorum constandum fuisse existimant juris civilis corpus. Dabimus operam, ut neglectæ PIETATEM, & IVSTE simul PRVDENTER- que egisse *Tribonianum*, dum hoc exigere monumentum ære perennius, in aprico constitutum pateat omnibus. PIETATIS est, legi divinæ, eique vel præceptivæ vel permissivæ, convenienter vivere. Permissivam legem vocamus, quæ de re agit, cujus nec sanctio monstrari diserta potest, nec expressa prohibitio. Quibus vero argumentis ea corroborari poterit sententia, quæ usum librorum a paganis conscriptorum christianis interdicit hominibus? Contra sanctissimæ divini numinis voluntati congruere videtur, si legislator omnium gentium instituta consulat, indeque sibi suæque reip. petat, quod imiteretur. Non unius est hominis, per exiguum vitæ decursum omnia, quæ ad utilitatem civitatis quidquam conferunt, probe cognoscere: quapropter & ex aliorum, etiam si gentilium, legislatorum consiliis proficiendum, eaque, ex quibus detrimenti nil capit reip. in usum illius sunt convertenda, tum in primis, quum idem regulæ exigunt prudentiæ. Cur ergo Tribonianum communi aliis jure solum privandum arbitramur? Cur læsæ majestatis divinæ reum postulamus miserum, qui sultam divino jure prudentiam secutus est? Certe mala mens procul ab illo abfuit, nec magnopere curavit, quibus sacris addicti fuerint ICI superioris ævi. Nam & sex TERTULLIANI responsa c) ab interitu vindicavit, quænt fidem christianæ doctrinæ affectam & ecclesiasticæ conditorem historia d) putant

b) CICERO *de oratore* L. I. c. 4.

c) Scil. in l. 27. π. *de Legibus*, l. 23. l. 33. π. *de testamento militis*, l. 30. π. *de acquir. vel onnt. hered.* l. 28. π. *de acquir. vel onnt. possessione*, l. 4. π. *de castrensi peculio*, docente IAC. LABITTO *ind. pand.* ap. ABR. WIELINGUM *jurispr. restit.* p. 252. seq. Conf. H. HAHNIUS *orat. de usu chronol. in jure* §. 43. seq. ap. EUND. p. 138.

d) Bina in primis sunt, quibus hæc opinio innitur, fundamenta. Alterum, locus EUSEBII suppeditat *hist. eccl.* L. II. c. 2. in quo TERTULLIANUM ἀνδρα τὴν Ρωμαίων νόμους ἠρωβονότα vocat: alterum ipsa PII PATRIS testimonia præbent, quippe quæ incomparabilem produnt Romani juris peritiam, ut sunt in *apolog.* c. 4. 5. 6. *de pallio* c. 5. *de anima* c. 6. aliæque quamplurima.

putant IACOBVS CVIACIVS, e) GUIDO PANCIROLLVS, f) ALBERGENTILIS, g) RAD. FORNERIVS, h) GVIL. GROTIVS, i) ANT. AVGVSTINVS, k) alique innumeri. Magnopere falluntur, qui lectionem in primis DOMITII VLPiani *Triboniano* exprobrant, quem capitali odio christianos fuisse profectum, certo certius constare putant. Extra oleas vagaremur, si istis nosmet immisceremus litibus, quas dudum peculiari oratione PETRVS TOVLLIEVVS, l) praterque eum EV. OTTO m) & IAC. LECTIVS n) docte ac solide composuerunt. Id solum iterum urgeamus, iterumque repetimus, nullum apparere in facto TRIBONIANI lasa pietatis argumentum. Eodem vero, quo coluit pietatem, studio IVSTITIAE etiam litavit erga principem. Qui vitam in rep. & actiones suas ad nutum principis componit, justus omnium suffragio reputatur. Ex quo perspicuum est & sole meridiano clarius, nec hac virtute *Tribonianum* defraudari posse, quippe qui sacratissimo Caesari morem gerens, per medium profundum ire & bis mille volumina perlustrare non detrectavit. Quodsi ea fuisset animi Iustiniani sententia, ut novum, idque secundum artis regulas constructum, juris *συστημα* conficeret sacri comes palatii, peccasse forsitan foret dicendus, si propriam meditationem non pratulisset intemptivo alios describendi studio. At enim vero praescripserat Iustinianus hanc ipsam compilandarum pandectarum rationem. Morem gerit *Tribonianus*, mandatamque spartam pro virium ornat modulo. o) Ergo eodem,

B 2

- ma. Nec temporum adversatur ratio. Habet & haec & contraria opinio patronos sagacissimos pariter atque disertissimos, quorum nomina exaltarunt I. PAMELIVS, P. ALLIXIVS, PH. PRIORIVS, IO. HENR. BLVMBACHIVS in eruditis, quas huic controversiae examinandae consecrarunt, dissertationibus. add. AEG. MENAGIVS *amen. jur. civ. c. 12. EV. OTTO V. C. in praef. T. I. thes. jur. p. 20. IO. ALB. FABRICIVS ad HIERONYMVM de scriptor. eccl. c. 53.*
- e) *Observat. VII. c. 2. inter opera a CAROLO HANNIB. FABROTTO collecta T. III. p. 182. A. B.*
- f) *De claris legum interpr. L. I. c. 50. p. 53. edit. Hofmann.*
- g) *De usuris L. I. c. 14.*
- h) *Rev. quorid. L. VI. c. 5. ap. EV. OTTONEM thes. jur. T. II. p. 287.*
- i) *De viris Jct. II. c. 9. §. 6. p. 148. edit. Fañekii.*
- k) *De nominibus propriis pandectarum c. 1. ap. EV. OTTONEM T. I. p. 139.*
- l) *De Vlpiano christianis non in senso.*
- m) *Praefat. T. I. thes. jur. Rom. p. 43. & praef. T. IV. p. 9. seq.*
- n) *De vita & scriptis Vlpiani orat. II. ap. EV. OTTONEM T. I. p. 63.*
- o) *Vid. CONSTITVTIO IVS TINIANI de conceptione digestorum ad Tribonianum, A. 530. Kal. Jan. data. Conf. BERN. HENR. REINOLDVS orat. de Legum inscript. §. 20. ap. ABR. WIELINGIVM jurispr. restit. p. 205. IO. SAM. BRVNOVELLVS hist. jur. Ro. P. II. c. 3. §. 6. seq. p. 193.*

dem, quo Aristides olim, jure, quanquam alio sensu, τὸ ἄνδρος merebitur elogium. Sed instas, nec tamen ab omni crimine liberari posse *Tribonianum*, qui, quum dissuadere Imperatori potuisset consilium, nil quod moneret, habuit, statimque, quid humeri valeant, fuit expertus. Ego vero hic singularem mihi videre videor *PRUDENTIAM*. S. P. Q. R. per tot sæcula ex istis *ICTorum* responsis jus in decidendis rerum argumentis hauserat, nec incommodi quicquam inde perceperat, sola laborans illorum copia. Omnis jurium mutatio periculosa est alexque plenissima. Quæ ergo *Justinianum* adegisset pacatum reip. statum turbandi, novisque tricis civis implicandi necessitas? Nonne notam perfidiæ odiique in patriam inuississet sibi *Tribonianus*, si pro ea, qua pollebat, facundia *Cæsarem* eo illexisset? Non nego & forte idem *Tribonianus* putavit, commodiori via jus reddi potuisse. At & hic naturæ alterius habitum consuetudo induit, easque obnubilat, quæ revera mori recepto insunt, difficultates.

§. V.

Satisfecimus ergo ei, quod in nosmet receperamus, officio, neque dubitamus, quin ulteriori probatione hæc carere queat ratiocinatio: *Quicumque in re aliqua perscienda, pietatis, justitiæ prudentisque normam servat, ille nihil committit, quod reprehensivum & atheismi opprobrium meretur.* Atqui *Tribonianus, dum libros ICTorum gentilium volutavit, non in pietatem peccavit, justitiæque ac prudentiæ custodivit regulas.* Ergo laudem potius meretur, quam vituperium. *Qui rem laude dignam vituperat, calumniatur.* Ergo hostes *Triboniani* meritas ex lege *Remmia* penas daturi sunt. Quæ quum ita sint, nemo ita injuriosus in leges nostras esse poterit, ut inde rem christianam detrimenti quicquam cepisse dicat. Illud enim ne contingeret, felici consilio providebant *Cæsares* piissimi: cavet etiam ipse *Tribonianus*, in quo superiori paragrafo virtutum legislatoris cardinalium trigam mirati sumus. Non igitur opus erit, plura colligere ad confutandum *Triboniani atheismum* argumenta. Id tamen intactum relinquere non possumus, quod, nisi fuisset *Christianus*, in orbe Romano locum non invenisset. Nota est omnibus dira *Iustiniani* constitutio, qua omnes paganos aut ad *Christianorum* transire communionem, aut patriis exire sedibus coegit. a) Ad inhospitales ergo *Scythas* & mare *Caspium* fugiendum fuisset *Triboniano*, si ethnicorum deastros in tanta christianæ religionis claritate adorasset, aut nullum penitus numen rebus inesse humanis credidisset.

a) Conf HVB. GIPHANIVS de Imp. *Iustiniano* p. 21. III. IO. PET. LVDEWI.

GIVS in *vita Iustiniani* c. VIII. §. 17. n. 112, p. 189.

disset. Imo misera profecto sunt adversariorum argumenta, si ad rectam rationem, tanquam lapidem Lydium & artis discernendi regulas examinentur. Quicumque titulis Diis tribui solitis Cæsarem demulcet, in legibus pagana relinquit dicendi genera, gentilium Ictorum scripta ceu normam vivendi iustitiae principis proponit; ille aut atheus est aut paganus. b) Longe alias esse posse & fuisse revera rationes, demonstratum dedimus. Facilis ergo est conclusio, maximos alias viros, re non accurate satis putata, decernentes, quum montes parturirent, murem edidisse maximo que coantu maximas egisse nugas.

§. VI.

Præmittenda hæc fuerunt examini disquisitionis a IOACH. SCHWARZIO, Lugduni Batavorum haud ita pridem de eo instituta, *an culpandus sit Tribonianus, quod in pandectis componendis ethnicorum hominum scripta compilavit?* Prodit hic novus in scenam Ictus, qui vbi per integrum vicennium in Belgio cultiori latuit, nunc demum primum ingenii edit monumentum. Avide legimus dissertationem viri, cui in tanta hominum litteratorum undique affluentium copia academiæ Leidensis nutritores publicam jus civile interpretandi spartam commiserunt. Statim ab initio intelleximus, non tam elegantia p. 3. 4. verborum, quam argumentorum ponderi, operam navasse auctorem doctissimum: idque nobis in hac potissimum quæstione curatius examinanda utile visum est ac necessarium, ne lenociniis verborum & calamistratis dictionibus fraus fieret veritati. Quum igitur totam ratiociniorum feriem non sine meditatione perlegeremus & accuratius pensitaremus singula, duo in primisprehendimus, quæ virgulam mereri censoriam videbantur. Desideravimus enim PRIMO, *aliam plane, quam index operis pollicetur, institutam fuisse tractationem: SECUNDO eas, quas pro thesi sua attulit, rationes non firmas satis esse omnique exceptione majores.* Rem ita se habere, statim demonstrabimus, ne injuriæ viro consultissimo illatæ queamus postulari. Nemo non putabit, eandem examinandam a V. C. propositam quæstionem, cui, ut a *paganismi & atheismi crimine Tribonianum liberaremus, §. IVtum consecravimus: nec ergo aliam, ac ibi jam legit, expectare poterit responsonem. Sed multum fallitur. In eo enim totus est Cl. SCHWARZIVS, ut nec sine iudicio compilasse Tribonianum, nec sacrosanctæ Christi doctrinæ nocuisse hoc ethnicarum legum volumine p. 1. f. demonstraret. Equidem lubentissime concedo, Tribonianum ab omni immunitatem vituperatione, si constet inter omnes certa utriusque veritatis ratio. Neque tamen ideo philosophi munere rite illum fungi nobis persuadebimus,*

B 3

qui

- b) Absurda est ratiocinatio, in qua nulla tur connexio.
inter subiectum & prædicatum reperi-

qui in titulo libelli illam collocat veritatem, quam ne verbulo quidem tetigit, quæque non sine ratiocinandi artificio ex proposita tractatione potest elici.

§. VII.

Qualem vero se in ipsa tractatione gesserit IOACH. SCHWARZIVS, nunc cum iudicio pensabitur. Diximus, bina esse defensionis capita, *primumque* hoc V. C. in se recepisse munus, ut *non indigestam molem, sed opus concinnum & ordine eximio commendabile a TRIBONIANO adornatum* demonstraret. a) Atque dum hoc agit, nihil amplius arbitratur dictum necessarium præter id unum, quod per VII. digestorum partes ordinem XII. tabb. *Tribonianus* servaverit: qua quidem in re ab interpretum majori numero suam sejungit sententiam, qui ex edicto perpetuo normam ordinis instruendi petiisse *Tribonianum* existimant. b) Nec placet nec juvat, has virorum clarissimorum lites atque dissensiones componere. Brevibus, quid de ordine pandectarum statuendum sit, dixisse sufficiet. Aut juris Romani doctrinam systematis instar exhibere voluit *Tribonianus*, aut noluit. Quod si prius intendit, quemadmodum id præter alios statuere videtur cl. SCHWARZIVS, tum, quod ordinem XII. tabb. sequutus est, omnibus merito afficietur contumeliis. Quasi vero nihil aptius & ad humanam rationem accommodatius reperiri queat ea legum ferre, quam ex Solonis axonibus & rhetris Lycurgi atque descripserunt Decemviri. Certè his nullquam in mentem venit bene ordinatum componere juris corpus, quippe contentis, scita prudentissimorum hominum de quibusdam obviis rerum argumentis cognoscere, eaque ratione crebras civium lites cohibere. Nec illæ, quas in Græcia describebant, tabulæ secundum aliquam ordinis normam fuisse videntur compositæ. Si quas obvientes forsitan quæstiones divini illi, qui resp. Helladæ rexerunt, homines deciderent, si delictis quotidianis aut etiam rarioribus pœnam statuerent, si publica privataque ordinarent forsitan negotia, posterius placitum prioribus jungebant Legibus, nulla argumenti, temporis unice, ratione habita. Nemo credo erit, quin, si hæc legat, totus evadat noster, propositæque opinioni adstipuletur. Quemadmodum vero non unquam persuadere nobis poterimus, componere juris *συσταξα* *Tribonianum* voluisse, ita etiam facilem delecti ordinis impetrabit ille a nobis veniam. Quod si enim eo omnes intendit nervos, sicut revera intendisse videtur, quo Ictorum potestate legislatoria instructorum responsa in unum

a) Qua mente ista scripserit V. C. ex iis, quæ infra p. 15. leguntur, potest intelligi.

b) Vid. IO. SAM. BRUNQUELLVS *hisp.*

jur. P. II. c. 3. §. 12. seq. p. 195. III. LVDEWIGVS in vita Iustini. c. VIII. §. 23. p. 106.

unum volumen ex ter mille codicibus digesta, sub certis exhiberet rubricis, summam omnino prudentiæ laudem merebitur, seriem sibi deligendo, quæ peritis iurium æque cognita erat, ac pueris literarum elementa. Ne divinatione quidem assequi potuit sacri comes palatii, hanc compilationem ab hominibus tractatum iri nulla XII. tabb. edictique perpetui notitia instructis, quidum rudem indigestamque pandectarum molem omnibus diris devovent, nihilque nisi ordinem naturalem, magno hiatu crepant, imperitiam magis fiam, quam *αγοβειαν* prodere videntur.

§. VIII.

Iam igitur ipsum caput causæ adgredior, *alteram*, eamque præcipuam, cl. SCHWARZII disquisitionem vocaturus sub iudicium. Equidem ingenue confiteor, ea me uti non posse amplius, cui adhuc operam navavi, benignitate. In eo est V. C. ut *nihil profus detrimenti civitatem christianam ex compilatione legum ethnicarum cepisse, imo sororium hodieque Theologiam inter & jus civile Romanum vinculum intercedere, planum faciat.* Omne argumentorum pondus, si P. 1. 5. paucis multa expedire volumus, eo redit: Ius Romanum originem trahit ex philosophia Stoica, quippe cui Ictorum plerique sua dedisse leguntur nomina. Scita Stoicorum ita sunt comparata, ut & cum saniori jure naturali & cum re- p. 7. 8. velata per sacras literas Dei O. M. voluntate, quam accuratissime conspirent. Quicquid cum jure naturali & sacra scriptura convenit, christianæ religioni damnum inferre nequit. E. nec philosophia Stoica, nec, quæ inde collecta fuit, jurisprudentia Romana. Quilibet, vel me tacente, intelligit, cardinem rei in ea verti quæstione, an sapientia Stoicorum nil distet divinis, quæ Christianis revelata fuerunt, institutis? Hanc ut corroboret V. C. limites juris naturalis ex mente Stoicorum peragrat, quo inde Tribonianomastiges, ubi allucinentur, perspiciant. Convenire sacrosanctæ Theologiæ ait jus illud naturale Stoico- p. 10. rum, quo voluntatem Dei creantem intelligebant, * quodque adeo natura omnibus animalibus commune statuebant, quum præter defensionem conservationemque corporis & generis sui propagationem nihil quidquam imperet: Nec contradictionem aliquam religioni christianæ contrariam reperiri in juregentium existimat, sive illud pro legibus naturalibus, sive pro jure inter liberas gen- p. 14. f. tes

* Sic enim *jus naturæ* definit SCHWARZIIVS, "quod sit ordo ille, quem Deus O. M. in ipsa hujus universi creatione omnibus rebus & consequenter omnibus animalibus, quæ in terra cælo & mari nascuntur, ipsi etiam homini indi-

"dit, ut data eadem occasione semper eodem modo agat." ORIGINEM hujus voluntatis divinæ ad sextum creationis diem refert eaque cognitione se Stoicis multo beatiorum prædicat p. 13. seq.

tes obtinente, sive pro jure civibus & peregrinis Romæ communi, sive tandem pro eminentia gentibus Quiritium patriciis peculiari accipias. Ius gentium Stoicorum priori acceptum notione, quod tum demum, quum genus humanum augetur in dies, suam traxisse originem existimat, nihil docere, ac ipsæ diviniore sciscunt literæ, ex ipsis patere ejus fundamentis arbitratur. Urget ergo unicum ejus dictamen, quod honeste vivere vult hominem, binisque absolvitur positionibus, neminem læde; suum cuique tribue. Dum lædere quendam prohibent, simul colendum Deum, de quo christiano prorsus ritu sentiunt, honorandos parentes, alios beneficiis afficiendos, liberos procreandos, vim vi repellendam, reputant. Dum suum cuique tribuendum censent, turbationes dominiorum, pactorum & matrimoniorum violationes severa lege interdunt. Quæ arbitria gentium sive legibus, sive consuetudinibus receperunt in bello gerendo, restituenda pace, fœderibus pangendis, legatis mittendis accipiendisve observanda, nihil continent, quod a sacris literis non omni ex parte approberetur. Quæ peregrinis concessa sunt cum civibus Romanis jura, ut sunt accessiones domini & contractus: itemque insignes, quibus gentes patriciæ præ plebejis fulgent, prærogativæ, quo conjugiorum pertinet æqualitas, ita sunt comparata, ut christianam religionem & revelatam summi legislatoris voluntatem nulla ratione violent. Triumphum nunc sibi decernendum putat vir consultissimus, ubi tantam esse Romanarum legum præstantiam evicit.

p. 26. Puto nunc, inquit, ita me exposuisse principia jurisprudentiæ Romanæ, ut appareat, non jure culpari **TRIBONIANVM**, qui ethnicorum hominum scripta compilaverit.

§. IX.

Nostrum erit, an tantum pretium jure statui queat philosophiæ Stoicæ, paulo inquirere curatius. Inde enim patebit, non omnia recte ponderasse SCHWARZIVM, dum præclara eorum præcepta cum de Deo, tum de officiis congeneri præstandis, summa admiratione dignissima existimat. Neque primus egomet hoc in me recipio negotium, ut gravissimos Stoicorum in disciplina morali nævos omnium oculis exhibeam. Id dudum ex instituto egerunt duumviri celeberrimi IO. FRA. BVDDEVS a) & MAGNVS DANIEL OMEISIVS, b) quique philosophiæ Stoicæ principia tradidere, IVSTVS

- a) *In dissertationibus IV. de præcipuis Stoicorum in philosophia morali erroribus* lenæ cio lœc xcvl. 8 junctim evulgatis.
- b) *Dissert. de Stoicorum philosophia sobria & doctrina eorum cum christianismo convenienti* Altd. cio lœc xcviij.

STVS LIPSIVS, c) CASP. SCIOPIVVS, d) PAGAN. GAUDENTIVS, e) DANIEL HEINSIVS, f) TH. STANLEIVS, g) GER. IO. VOSSIVS, h) & qui Philuream olim doctrina sua illustravit, magnus maioris filii pater, IAC. THOMASIVS. i) Non est animus, virorum, quos nominavi, doctissimorum expilare scriinia, & cramben ab iis jam toties coctam denuo apponere. Satis enim operæ navasse nosmet arbitrabimur, si nec sancte fatis de summo numine sensisse Stoicos, neque in officiis alteri præstandis eum, quem a Christianis Deus O. M. exigit, apicem affecutos demonstraverimus. Mirum quidem cuiquam videri posset, sanctos veteris ecclesiæ eosque primarios doctores, ATHENAGORAM k) & CLEMENTEM ALEXANDRINVM, l) Stoicam de Deo O. M. sententiam cum placitis Christianorum composuisse, summumque toti Stoicorum philosophiæ statuisse pretium: cuius quidem rei ratio ex moribus temporum petenda est. Vsu receptum erat, ut patres e scriptis virorum doctorum, qui inter simulacrorum cultores sua profitebantur nomina, haurirent philosophiam. Hi ecclésiasticam philosophandi rationem sequebantur, quæ *ecclésiastico-platonica* jure meritoque appellatur. Quamvis enim Peripatericos & Stoicos in morum doctrina duces sibi elegerint, in plerisque tamen opinionibus toti Platoni erant. In aliorum verba prompte jurabant & alacriter, ubi iis cum Platone suo convenire perspiciebant. Putabant autem, Stoicos cum philosopho suo in morum facere scientia, neque, si verba spectes, imposuisse sibi videntur. Epicurum, qui summum bonum *εὐχρηστία* i. e. animi quiete & tranquillitate collocabat, male interpretantes, ejusque *ἡδονή* de prava corporis cupiditate accipientes, averfabantur Stoici, ea in re cum Platone consentientes, qui in Philebo suo exiguum voluptati pretium statuerat. Hinc patres etiam, quippe qui S. S. male explicantes, non delectationem, sed tristitiam christi-

- c) *In manu ductione ad philosophiam Stoicam* Antw. clō 10c III. 4. m. & *in manu d. ad physiologiam Stoicam* Antw. clō 10c x. 4.
- d) *In elementis philosophiæ Stoicæ* Mogunt. clō 10c VI. 8. Judicium de hoc libello v. apud MORHOFIUM in *polyhist. lit.* P. II. sect. I. c. 4. §. 2.
- e) *diff. de origine & progressu philosophiæ apud Romanos*, Pisis clō 10c XLIII. 4.
- f) *In orationibus* Amstelodami clō 10c LI. junctim editis, p. 243. seq.
- g) *In historia philos.* P. VII. p. 554. seq.

edit. latinæ, quam Lipsiæ clō 10cc XI. 4. m. formis describi curavit magnum sanctioris doctrinæ decus, GOTTFRIDVS OLEARIVS.

h) *De sectis philosophorum* c. XVIII.

i) *In dissertationibus Stoicis*, Lipsiæ clō 10c LXXVI. 4.

k) *Apolog. pro Christianis* c. VI. p. 28. edit. Oxon.

l) *Stromat.* L. VI. c. 14. p. 699. edit. IO. POTTERI, cujus nota 3. digna est, quæ conferatur.

christiano commendabant homini, Epicurum abominantes Stoicæ factioni ultrâ quam fas est favebant. Recte igitur elegantissimus vir, RENATUS RAPI-
NUS m) sentit: "Ceux qui se mêlent de justifier Epicure ont des trop grands
"suffrages contre eux pour ne pas avoir honte de lui être favorables. Car
"sans parler de premiers STOICIENS, qui ont toujours declamé contre
"lui, il n'y a jamais eu de doctrine plus décriée parmi les PÈRES DE
"L' EGLISE, que la sienne." Quod si veteris ecclesiæ doctores in inter-
nam doctrinæ Stoicæ turpitudinem introspexisset, nullum est dubium, quin
eam spreturi fuissent & contempturi. Ego igitur, secunda priorum ho-
minum auctoritate, theologiam Christianorum & Stoicorum tantum in-
ter se differre pronuntio, quantum distant æra lupinis. Quis Christianis æqui-
parare vellet homines, qui & unitati numinis & summæ ejus perfectioni vim
inferunt? Sunt, qui, cui rerum ordini accensere Deum debeant, ignorant.
Alii Stoicorum, PLVTARCHO n) teste πνεῦμα διηκον δι' ἑλθ τῆ κόσμος Θεοῦ,
vocant, alii ens illud summum egregie delirantes ζῶον ἀθάνατον definiunt,
auctore DIOGENE LAERTIO o) nec erravit GER. IO. VOSSIVS, p) dum
numen nunc pro mente divina a mundo separata, nunc pro spiritu mundo
huic immixto accipi, in Stoicorum scholis, existimavit. Iam TVLLIVS q)
scripsit, Stoicis partem hujus mundi formalem esse Deum; indeque explicari
poterit ZENONIS dictum, quo ad substantiam Dei mundum totum & cœ-
lum retulit. r) Unitati divinæ derogant, dum enti summo minores quas-
dam divinitates laborum socios & collegas mira jungunt audacia. s) Perfe-
ctionem, quæ in Deo eminēt, maximam lædunt, dum providentiam arcis
includunt limitibus, eamque, minoribus neglectis, in gravioribus solum veri-
fari

m) Dans les réflexions sur la morale §. VI. add. FR. BALTI, S. I. *Defense des Saints Peres accuses du Platonisme* Paris MDCCXVII. 4.

n) De placitis philos. L. I. c. 7. add. THO. ALDOBRANDINVS ad LAERT. not. 538. T. I. p. 458. ed. AEG. MENAGH.

o) De vitis & dogmat. philosop. L. VII. segm. 147.

p) De sectis philos. c. XVIII. §. 7. p. 103. edit. RYssel.

q) De natura Deor. L. I. c. 11. & 14.

r) LAERTIVS l. c. segm. 148. DEVS certe STOICVS nihil est aliud, quam pri-

um orbis & naturæ principium, a quo cætera, per absolutam quandam necessitatem tanquam fato inevitabili complicata, pendebant. Formam itaque mundi, ut Aristoteles, eamque informantem hac DEI voce designabant. SE-NECA *nat. quæst.* L. II. c. 45. *de benef.* L. II. c. 7. 8.

s) DACERIVS dans les comment. sur M. Antonin L. VIII. §. 29. T. II. p. 155. IO. FRA. BVDDEVS in *manuduct. ad philos. Stoicam ex mente Antonini* quam WOLLIANAE Imperatoris editioni præmisit, sect. III. §. 6. p. 36.

fari negotiis arbitrantur. t) Et quid de fato dicam, quod ex hac schola suos quasi natales repetit d u). Quanquam enim adstruere nolo, omnes in universum Stoicos tantam fato vim tribuisse & potestatem, maxima tamen inter illos lumina hoc errore turpissimo laudi suæ & eruditionis gloriæ non parum offecerunt, hilemque adeo moverunt IUSTINO MARTYRI, ut peculiari oratione x) deliria hæc confutare conaretur. De CHRYSIPPO certe testis est GELLIVS, y) eum fato seu naturali compositioni universorum ab æterno mutuo se consequentium, non leve statuisse pretium. Si officia spectamus aliis hominibus exhibenda, tantorum certe errorum convinci poterunt nequaquam Stoici. Qui externas contemplatur actiones, christianis pares imo superiores nonnunquam habebit Stoicos. Qui vero ab externa actione deflectens animum, ad fontes virtutum Christianarum in amore Dei investigandos recurret, suum Stoicis, eumque non adeo magnum, habebit honorem. Quæ ipsi in alios conferebant beneficia, exinde videntur esse profecta, quod arctam quandam inter magnæ hujus reip. incolas intercedere cognationem και ἀλλήλως ἀλλήλων ἐνεκα γεγονότας existimabant. z) Inimicos Stoici amore censentatibus παραθεῖς persisterent, omnium admiratione dignum exhibent spectaculum. aa) Latius ista persequi instituti vetat ratio. Legi tamen merentur, quæ summo iudicio & brevitate concinna commentatus est reu. ABBAS DE BELLEGARDE, decus Galliæ eximium. bb)

§. X.

Ex his, quæ hæctenus contra IOACH. SCHWARZIVM disputavimus, quilibet perspiciet, virum doctissimum non ea, qua debebat, accuratione Stoicorum considerasse placita, illudque AFRI consilium insuper habuisse, quo non quod ante pedes solum spectare, sed ad ipsa rerum principia recurrere, sapientem jubet. Nos certe sumus persuasissimi, jurisprudentiam ex Stoic-

C 2

cifmo,

t) STANLEY *hist. philos.* P. VII. Sect. III. c. 17. p. 638. seq.

u) M. ANTONINVS πρὸς ἑαυτὸν VII. §. 9. p. 134. XII. §. 14. p. 265. ubi DACERII junge notas. STOBÆVS ecl. phys. c. IX. p. 12. STANLEY P. VII. *doctr. Stoic.* Sect. III. c. 19. p. 639.

x) Apologia I.

y) *Noct. Att.* VII. c. 6.

z) M. ANTONINVS VIII. §. 59. X. §. 6. SENECA *epist.* XCIV. LVCANVS *Pharf.* II. v. 383. BVDDEVS *manud. ad phil. Stoic.* S. VII. §. 14. p. 121. seq.

aa) BVDDEVS I. c. §. 16. p. 124. seq.

bb) *De l'art de connoître les hommes* p. 10.

cismo, id est, atheismo ethnico ductam non posse non a Christi disciplina vehementer abhorre. Quæ de reliquis IVRIS GENTIVM. significationibus narravit, ea non tam sententiæ firmandæ gratia in medium attulisse videtur, quam eo, ut ambiguitatem quamvis tolleret, consilio. Quapropter nec nos iis immorabimur examinandis, id monentes unice, deberi maximas juris consultissimo auctori gratias, qui, dum auctoritate TITI LIVII novam, nec a quoquam antea observatam, IVRIS GENTIVM tradidit & probavit notionem, de elegantiori jurisprudentia bene mereri cœperit; de qua & in posterum merebitur, si, quas subtiliter excogitavit, novas ad Ius Romanum observationes cum avido harum literatum lectore propediem communicaverit.

TANTVM.




(X2373688)

70c

Kb 2214





2424

I. H. B. L.

ANIMADVERSIONES 212

IN IOACHIMI SCHWARZII

IURIS CIVILIS IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA ANTECESSORIS

DISQUISITIONEM ACADEMICAM

UTRUM IURE CULPANDUS SIT TRIBONIANUS QUOD IN COMPONENTIS PANDECTIS ETHNICORUM HOMINUM SCRIPTA COMPILARIT?

LUGDUNI BATAVORUM V. NONAR. IULII A. MDCCXXXVII. INSTITUTAM.



LIPSIÆ

IN BIBLIOPOLIO MARTINIANO

MDCCLXXXVII.

Hb 2214

